

Etationibus? quot controversiis viam præcludet? quam feliciter ipsa divine  
mentis adyta & genuinam DEI nostri mentem pluribus aperiet? quam li-  
beraliter succum atq; sanguinem, ut ita dicam, hoc est vim & æquæ  
Scripturæ Sacræ quibuscunq; impertietur? Præstant enim hæc & alia plu-  
ra Cura Philologica, si sacris rectè impendantur, & nisi fallor, promptio-  
ri manu Facultatem principem tractant, qui plus olei & operæ in Philo-  
logico, quàm Philosophico, aut Scholastico potius studio consumunt. Neu-  
tri quidem detractas velim laudes suas: nota tamen sunt Clarissimorum  
omni tempore virorum de Philologiæ Sacræ studio judicia encomiaq; quæ  
(sine omni fuce scribo) Tuis Notis, Domine, omninò possunt applicari.  
Restauret modò DEUS noster vires tuas, quas, juxta tot ab adolescentiâ la-  
bores & afflictiones, morbi quoq; multum attriverunt: prosperet conatus  
Tuos, ut hucusq; factum est, è cælo, ut pertexere hanc telam, & la-  
boris exantlati fructum, in hoc quoq; seculo percipere queas.

XXXV. Ex his describemus Philologiam sacram, quod  
sit Habitus, ab homine industrio, & tum Lingvarum, præcipuè  
Græcæ & Hebrææ, tum cæterarum Disciplinarum instrumenta-  
lium notitiâ prædito acquisitus, ut Textum Biblicum plenius  
& planius quoad Sensum Grammaticum intelligere  
& dijudicare possit.

TANTUM.



Coll. diss. A. 74, misc. 10